

Explico. Ut solutio plenius intelligatur, non erit inutile huc transferre ipsa verba S. Thomae doctrinam hanc sic enodantis: « Anima quamvis est forma simplex in essentia, habet tamen virtutem ad diversas operationes; et quia naturaliter dat esse et speciem suo perfectibili in quantum est forma corporis secundum essentiam; ea autem quae sunt naturaliter, sunt propter finem: oportet quod anima constituat in corpore diversitatem partium, prout congruit diversis operationibus; et verum est, quod propter huiusmodi diversitatem, cuius ratio est ex fine, et non ex forma tantum, in constitutione viventium magis apparet quod natura operetur propter finem, quam in aliis rebus naturalibus, in quibus una forma perficit uniformiter suum perfectibile » (1).

Oppon. 8.º Anima ibi solum residet, ubi sensationes exercet. Atqui exercet sensationes in solo cerebro. Ergo est in solo cerebro. Minor patet experimentis Boerhaavi et Halleri, ex quibus constat, aboleri sensationem, discussa, compressa, putrefacta medulla cerebri, vel intercisus nervis inter sensorium et cerebrum.

Resp. Dist. mai. Anima solum residet secundum virtutem sentiendi, ubi exercet sensationes, *Conc.* Secundum essentiam et alias virtutes, quas tribuit corpori, *Neg.* et *Neg. min.* Ad rationem ex experientia ductam respondemus, causam cur intercisus nervis, vel compressa cerebri medulla cessat sensatio, non esse eam, quam obtrudunt isti Physiologi, nimirum quia sensatio exercetur solum in cerebro; sed quia ad sensationes in singulis sensibus habendas requiritur apta dispositio et harmonia totius organismi sensitivi, et eius communicatio cum centro et principali organo vitae sensitivae, quod est cerebrum. Si quando haec apta dispositio cessat per putrefactionem et compressionem medullae cerebri vel ob caesionem nervorum, sensatio cessat in singulis sensoriis. Quemadmodum, laeso corde, actiones vegetativae, quae in aliis organis etiam exercebantur, in ipsis vel perturbantur, vel totaliter cessant. Ceterum si ex eo quod, cerebro corrupto, cessat sensatio, colligunt, sensationem fieri in cerebro: eodem iure nos possumus argumentari, et ex eo quod, corrupto oculo, cessat visio, deducemus, visionem fieri in oculo, sicut sensus naturae communis testatur, et omnes homines sanae mentis fatentur, qui nec iocando dicent, frigus sentiri in capite, si manu nivem attractant.

(1) QQ. DD. De Anima, a. 10 ad 17.

ARTICULUS IX.

UTRUM PARTES LIQUIDAE CORPORIS ET MAXIME SANGUIS
INFORMENTUR ANIMA HUMANA.

STATUS QUAESTIONIS DEFINITUR. Cum anima rationalis sit forma substantialis corporis humani tribuens ipsi esse et unitatem, ita ut homo constans ex anima et corpore sit ens simpliciter unum; sponte occurrit dubitatio, utrum omnes partes humani corporis informantur anima rationali ad efficiendum unum continuum heterogeneum, vel sint aliquot partes sive ad corporis ornatum sive ad necessitatem pertinentes, quae non informantur anima, ideoque non efficiunt cum reliquo corpore unicam substantiam, sed ad summum, cum ad alimentum et nutritionem corporis humani ordinentur, sunt solummodo in potentia ad hoc ut anima rationali informantur. Quaestio huiusmodi potissimum agitur de sanguine, propterea quod in Christo unicus fuit immediate Personae Verbi, ideoque videtur ad unitatem naturae humanae omnino pertinere et esse informatum actu ab anima rationali. Ut autem de hac litigiosa quaestione, quae philosophos et theologos in diversas et admodum oppositas distraxit sententias, quidpiam delibemus, inter varias humanae naturae partes nobis sedulo est distinguendum.

Diversae partes in homine. Diversa ratio partium consideranda est in homine. Aliae quippe sunt essentiales, ut forma et materia, seu anima et corpus: aliae sunt integrantes, ut varia corporis membra. Porro integrantes iterum bipartitam habent divisionem, cum discriminentur in primarias, et secundarias.

Primi generis sunt caro, ossa, nervi, cartilagineae, membranae, et generatim partes illae, quae, licet dissimillimae inter se, informantur eadem forma substantiali, videlicet anima rationali, a qua accipiunt ut sint ens per se unum, seu unicum individuum naturae vel speciei humanae, cum forma substantialis sit principium intrinsecum essendi simpliciter, et unitatis: unum quippe consequitur ens. Quare partes huiusmodi dicuntur pertinere ad veritatem naturae humanae, nimirum ad speciem humanam, in qua consistit veritas humanae naturae; et cum species non tribuatur nisi individuo et subsistenti completo, quod est ens simpliciter et per se unum, inde sequitur, partes has necessario debere esse unica forma substantiali actuatam, ideoque esse animatas et viventes. Unde quaerere, an aliquid, puta alimentum, convertatur in veritatem naturae humanae, eodem recidit ac si quaeratur, utrum alimentum, quod erat in potentia plus minusve remota, corpus humanum ita transmutetur per vires nutritivas, ut informetur eadem

forma substantiali, idest anima nutriti, cum quo facit unum corpus humanum et unicum individuum speciei humanae.

Secundi generis sunt partes illae, quae licet actu non pertineant ad veritatem humanae naturae, quia non informantur anima rationali, proinde non faciunt cum reliquis omnibus ens per se et simpliciter unum; tamen dicuntur pertinere ad hominis integritatem sensu quodam latiori, propterea quod vel necessariae sunt ad vitam et veritatem naturae humanae conservandam, vel a natura ordinantur ad hominis ornamentum. Sic iuxta primum sensum nutrimentum antequam conversum sit in veritatem humanae naturae, vel aliqui humores, qui ab omnibus censentur non animati, dici possunt partes corporis humani secundo latiori sensu. Sic capilli et ungues, si non informantur anima, uti Doctores complures magnique nominis opinantur, dicendi sunt partes integrantes eodem latiori sensu, quatenus nempe ad ornatum partium vere integritatem spectant. Quaestio ergo quam prae manibus habemus ad hoc reducitur, utrum sanguis dicendus sit pars integralis humani corporis sensu pressiori, utpote actu pertiniens ad speciem humanam, vel sensu latiori, utpote in potentia ad speciem et aliquid ad illius conservationem necessarium.

Multiplex sententia. Obscura et perabscondita, de qua agimus, quaestio tractata fuit vulgo a philosophis et theologis, cum ad indagacionem explicationemque naturae pertineat, et simul ad quaedam Fidei dogmata declaranda usurpetur. Nam Fides Catholica docet, Verbum Divinum hypostatice unitum esse sanguini humano; docet insuper in Eucharistiae Sacramento, sub speciebus panis esse simul cum Corpore per concomitantiam Sanguinem D. N. J. C.; demum in Resurrectione corpora humana integra et perfecta resurgere. Ad haec quaestiones enodandas theologi inquirunt, an sanguis actu pertineat ad unitatem corporis humani, ideoque an sit ab anima informatus. Tamen tum philosophi tum vel in primis theologi in hac re mire sint inter se dissentientes; nihilominus, posthabitis secundariis differentis, eorum sententiae possunt ad tria potissimum capita commode revocari.

Prima sententia tenet, sanguinem in corpore humano esse animatum anima rationali. Hanc tenet inter alios Caietanus, qui tum auctoritatibus, tum rationibus philosophicis ac theologicis eam communire satagit. Quod autem sanguis sit alimentum, ideoque non actu sed potentia tantum pertineat ad speciem corporis aliti, idest corporis humani, solvitur a Caietano affirmando, sanguinem esse partem in potentia per ordinem ad alias partes corporis in quas convertitur; esse vero in actu per ordinem ad totum animal cum informetur anima communi, quae facit omnes partes animalis esse actu; eodem ferme pacto ac corpora elementaria sunt in potentia relate ad corpora mista, sunt in actu relate ad compositionem universi totius, cuius sunt pars.

Haec disserendi ratio subtilior an verior dicenda sit, prudens lector per se videbit: elementa quippe in mundo quamdiu actu considerantur, non faciunt nisi unum accidentale, seu per aggregationem, et sic sunt in potentia ad faciendum unum per se in misto per formam misionis, quod dici nequit de partibus animalis eadem anima informatis, quae faciunt unum per se, quod est continuatio unum. Loca S. Thomae quae a Caietano ad eam sententiam fulciendam citantur, huiusmodi sunt (2 *Sent. Dist. 30, q. 2, a. 1 ad 6; 4 Sent. Dist. 44, q. 1, a. 2, sol. 3; Quodlib. 5, a. 5*).

Secunda sententia tenet, sanguinem in homine esse informatum anima rationali, sed ab ipsa recipere tantummodo gradum perfectionis propriae corporum mistorum, non vero perfectionem corporum viventium, ita ut sanguis, quamdiu remanet sanguis, nullam operationem vitalem et immanentem habeat. Sententia haec propugnatorem sibi vindicat Toletum (1).

Tertia sententia absolute negat, sanguinem discurrentem et fluentem per venas corporis humani, qui est eiusdem corporis alimentum, et vocatur *humidum alimentare*, dici posse animatum anima rationali, ita ut simul cum reliquo corpore faciat ens et individuum per se unum. Sententia huiusmodi assertorem sibi vindicat Silvestrum Maurum (2), sed praecipue explicatur atque defenditur a Conimbricensibus (3). Laudati auctores diligenter citant quamplures eiusdem doctrinae assertores, suamque conclusionem his potissimum confirmant argumentis. Primum argumentum ducitur a ratione continui, et hoc modo proponitur: Quae continuata non sunt, nequeunt sub unius formae unitate coalescere, cum sint diversa numero. Atqui sanguis non est continuatus ceteris partibus corporis. Ergo non informatur anima totius. Et re vera sanguis continetur in corpore tamquam in vase a quo discretus est. Unde Aristoteles ait: « Non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est; sed in corde ac venis quasi vasis concluditur » (4). Secundum argumentum ducitur ex ratione alimenti sic: Sanguis est alimentum animantibus sanguine praeditis. Ergo non est pars actu informata eorumdem animalium forma; secus animal nutritur partibus suismetipsis, et nutritio non esset aggeneratio, sed solum alteratio, cum alimentum manens sub eadem forma non mutaretur, nisi penes qualitates. Demum arguitur ex auctoritate Aristotelis, et S. Thomae aientium, sanguinem non esse actu partem animalis (5).

(1) Cf. TOLET. in lib. II *De Anima*, cap. II, q. 4.

(2) Cf. SILV. MAURUM, *Quaest. phil.* vol. III, q. 28.

(3) Cf. CONIMBRIC. in lib. I *De general.* cap. IV, q. 24.

(4) *De part. animal.* lib. II, cap. III.

(5) Cf. ARIST. *De part. animal.* lib. II, cap. X, et S. THOM. 3 p. q. 31, a. 5 ad 1.

Argumentis in oppositum deductis sive ex ratione sive ex auctoritatibus, quae affirmant, sanguinem esse partem animantis ad eius integritatem pertinentem, respondentur distinguendo inter partes proprio sensu integrantes et partes necessarias ad integritatem animalis conservandam, inter quas primo loco recensetur sanguis, non solum quia est alimentum, sed etiam quia ex eo spiritus efformantur, qui necessarii sunt ad temperamentum illud corporis viventis proprium, et quia maxime fovet colorem nativum, quo deficiente, animal moritur (1).

Ad S. Thomae hac super re sententiam quod attinet, dicimus, rem non vacare difficultate, praesertim cum oppositae sententiae propugnatores illam pro se stare affirmant, eiusque loca, licet non verba, citent. Quocirca opportunum duximus loca adnotare in quibus Angelicus Doctor de hac re disputat, ut prudens lector possit ea in fonte consulere et genuinam S. Doctoris mentem arripere (2).

Nota. Quando dicimus sanguinem in homine non esse informatum anima rationali, evidenter loquimur de sanguine prout est alimentum animalis, antequam convertatur in substantiam alimentati; sed fateamur, difficile admodum esse determinare, quam ultimam dispositionem acquirere debeat sanguis, ut haec efficiatur conversio.

Quid de capillis et unguibus? Ad huius questionis complementum aliquid innuimus de pilis, capillis, et unguibus. Auctores ergo communiter docent, pilos, ungues, et capillos non esse partes animatas, ideoque non crescere per veram vitalem operationem, idest per introsusceptionem partium, sed per puram additionem. Hanc sententiam tuentur Silvester Maurus, et Toletus locis paulo ante citatis.

Conclusio. Licet in proposita questione enodanda nihil certi determinatum sit, ne inter tot magni nominis Doctores videremur velle fungi officio Chryssippi, qui tanquam arbiter honorarius medium ferre dictus est; nihilominus non fuit inutile gravissimorum auctorum sententias ultro citroque proponere. Siquidem, uti testis est S. Thomas: « Magis concupiscimus scire modicum de rebus honorabilibus et altissimis, etiamsi topice, et probabiliter illud sciamus, quam scire multum de rebus minus nobilibus. Hoc enim habet nobilitatem ex se et ex sua substantia, illud autem ex modo et qualitate » (3).

(1) Pro solutione aliorum argumentorum, cf. *CONIMB.* loc. cit. a. 3.

(2) S. THOMAS de hac re disputat, 1 p. q. 119, a. 1; 3 p. q. 31, a. 5 ad 1, et q. 54, a. 2; *Quodlib.* 5, a. 5; 2 *Sent.* Dist. 30, q. 2, a. 1 ad 6, et 4 *Sent.* Dist. 44, q. 1, a. 2, sol. 3.

(3) *De Anima*, lib. 1, lect. 1.

FINIS ANTHROPOLOGIAE.

INDEX RERUM

QUAE IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR

PHILOSOPHIA NATURALIS.

PARS PRIMA. DE MUNDO SEU COSMOLOGIA.

PROOEMIUM Pag. 1

TRACTATUS PRIMUS. De corporibus generatim consideratis.

QUAESTIO I. DE RERUM NATURALIUM PRINCIPIIS INTRINSECIS SEU DE ESSENTIA CORPORUM	4
ART. 1. De veterum philosophorum placitis circa essentiam corporum	5
ART. 2. Exponuntur falsa recentiorum placita circa naturam corporum	8
SCHOLION. Atomistae cum Dynamistis conferuntur	11
ART. 3. Systemata Atomistarum et Dynamistarum refelluntur	12
SCHOLION. De atomismo dynamico	16
Solvuntur difficultates	17
ART. 4. Sententia peripatetica de principis naturae exponitur	20
ART. 5. Doctrina peripatetica de principis naturae propugnatur	29
Solvuntur difficultates	36

QUAESTIO II. DE PRINCIPIIS NATURAE SINGULATIM CONSIDERATIS 40

ART. 1. De existentia materiae primae	41
Solvuntur difficultates	47
ART. 2. An forma substantialis educatur de potentia materiae	52
Solvuntur difficultates	54
ART. 3. De permanentia elementorum in mistis	56
Solvuntur difficultates	62

QUAESTIO III. DE QUANTITATE ET DE HIS QUAE QUANTITATEM CONSEQUUNTUR 66

ART. 1. De effectu formali quantitatis	66
Solvuntur difficultates	72
ART. 2. De constitutione continui seu de composito integrali	76
Solvuntur difficultates	81
ART. 3. De continuo heterogeneo	83
ART. 4. De loco et spatio	88
ART. 5. De corporum impenetrabilitate et reduplicatione	95
Solvuntur difficultates	102